

(Bw10)

ENCHIRIDION

SVMMA IN GRAMMATICAE ARTIS

PROLEGOMENA

GRATVITI QVIBVS LATINI HVJVSCE MVSAEI METHODO ANALYTICA

EXAMINANDI SVBJICIENTVR ALVMNI

Claudius Estivenson,		Caesar Villegas,
Petrus Salcedo.		Emmanuel Velasco.
Josephus Castillo.		Benedictus Perez,
Eduardus Sarabia.		Gregorius Belaochaga.
Josephus Chavez,		Franciscus Velasco.


QVAE EX IDONEIS, SELECTISQVE AVREAE AETATIS EXEMPLIS E LATINIS ORATORIBVS, HISTORICIS, POETIS, PHILOLOGIS EXCEPTA

FVSIVS EVINCENT, ATQVE ELVCIDABVNT

AVSPICIA IPSIS FERENTE

Josepha Perez de Vargas.

Annis ab hinc novem et quadraginta conspicua in hac urbe
 Lima Peruvli Metropoli publico Latinae linguae, humanieris
 litteraturae, Rethorices Moderatore; Scholarum Censore; Publicae
 instructionis Socio adjuncto; ipsius praefati Musaei
 a legitima Gubernatione Fundatore, Directore,
 Institutore nominato et plenius approbato;
 Liberatoris Bolivaris numismate
 insignito; etc. etc. etc.



QVI APRILIS DIE XVI. PRAELVSTRI IN HAC D. MARCI VNIVERSITATE SESE OFFERENT EXAMINANDI

HORA X ANTEMERIDIANA.

LIMAE APVD JOSEPHVM HVDOBRO MOLINA.

ANNO MDCCCLXIX.

*Integros homines, sanas Respublica mentes
Poscit, et in cives ne sit avara manus;
Et gesta, et meritum justa mercede rependat,
Publica privatis et bona juncta velit.
Laus alit ingenium, sed non haec sufficit una,
Ni juvet alterna munus opusque vice.*

Elegiae Disthico 23.

ELEGIA.

Alnum vidistis surrectam in vertice montis
Late extendentem sidera ad alta comas?
Virga fuit quondam nulli satis apta labori;
Aequora nunc diti merce referta secat;
Et dat opes nautae in reditu, patriaeque salutans
Optatum littus denique sistit iter.
Quercus nixa polo Dodonae in valle creata
Glans fuit; illa Ducum cingit honora caput.
Flava Ceres viruit jam visa ut inutilis herba,
Postea cultori ditia dona refert.
Sic nobis eadem primis Natura sub annis
Se explicat, et viridi tempore acerba venit.
Ast juvenis, modo culturae si praebuit aures,
In rectum vergit, surgit ab arte probus.
Is, fuit, ut crescens, aliquot volventibus annis,
Sit Patriae columnen, Pindaridumque decus.
Principio tenuis montano e fonte recedens
Rivulus ingentes ad mare volvit aquas.
Urbs ita Romulidum, cui stramine tecta tegebant
Hac illac sparsas arcta per arva casas,

Exiguumque pecus duxit pro divite censu
Rumina dum ficus gloria Tibris erat,
Creverat in tantum, septem ut de collibus orbi
Jura daret domito, Martis honorque foret.
Et gens illa prius, quam torvo lumine reges
Sprevere, his collo vincla ferenda dedit.
Numine Palladio duris exercita bellis
Cinxit honoratis martia sarta comis;
Artibus ut dubium major, seu major in armis;
Nec virtute minor, nec minor orbe fuit.
Postea, mollitis animis, patefecit apertum
Turpibus et vitiis, criminibusque latus.
Hinc furor in cives sceleratum vertere ferrum
Impulit, et Patriae scindere velle sinus;
Hinc urbi excidium, belli hinc civilis origo,
Udaque civili sanguine terra madens.
Corpora languor habet, tum mutua vulnere cives
Exponunt praedam gentibus esse feris.
Heu dolor! Heu pietas! Di talem avertite casum
A nobis. Proh sit civibus unus amor!
Diversasque fratrum mentes Concordia felix
Jungat, et ad pacem ne remoretur iter.
Pacis ad optatum dulces inviolabile pignus,
Hostis quod metuat rumpere, amicus amet.
Integros homines, sanas Republica mentes
Poscit, et in cives ne sit avara manus;
Et gesta, et meritum justa mercede rependat,
Publica privatis et bona juncta velit.
Laus alit ingenium, sed non haec sufficit una,
Ni juvet alterna munus opusque vice.
Vult animus fieri patiens, corpusque laboris
Ne capiat vitium, quaque movetur eat.
Gramina cum dumis inaratum proferet arvum;
Arbor et immiti poma sapore feret.
In syrtes puppis misere collisa recumbet
Provida rectoris ni manus arte regat.
Haud aliter mens nostra situ sterilescit, hebetque
Si cultura deest, si perit artis opus,

Vergit in obliquum vitii propensa Juventus;
Conditione sui quod nocet illud amat;
Se modo velle negat modo quae voluisse placebant;
Sic levitate sua fit levitatis amans;
Quique prius rapiant in pravum saepius ignes
Concipit; in rectum lentior illa venit.
Ecquid nobilius, vel quid sublimius extat
Stirpe hominum? Quidnam pravius esse potest?
Non taurus taurum, leo non necat ungue leonem,
Non tigris tigrim, non lupus ipse lupum;
Ast homo naturae dirae, atque ferocior illis
Insidiis homines ense vel igne petit.
Quantum flagitii mitem nisi redderet Alma
Relligio, et faceret moribus esse pios!
Tendens in rectum rectum tenet; hac duce certa,
Haud vagus in turpi fluctuet ille lacu;
Insuper ingenuis animum domat Artibus, ornat
Virtute, et gressus ad meliora parat.
Natus ut ad Coelum, Coelum suspectat, et apte
Ultima sic rerum linea ducta manet (a):

Cecini.



(a) *Ultima linea rerum, nempe mors.*

De Grammatica in genere.

Quid Grammatica sit explanabitur. Quadrifariam subdividi; in Ethimologiam nempe, Orthographiam, Syntaxin, et Prosodiam. Unde voces hae deriventur. Quid significant. Quid unicuique harum respondeat.

De octo Orationis partibus.

Quid Nomen ejusque divisiones? Horum alia Anomala, sive Etheroclyta; Propria alia et Apellativa; Adjectiva alia, Partitiva, Distributiva, Demonstrativa, Numeralia, Aumentativa, Diminutiva.

Variae nominum verborumque inflexiones.

Nominum genera per regulas explanata. Verborum quot species? Ipsorum radices. Praeterita, Supina, Participia. Ipsorum regimen. Jam verbum, jam integrae sepius orationes pro verbi supposito, vel recto a verbo casu saepius usitatae. Difficiliores quorundam anomaliae.

De Praepositione.

Quid sit, et cur Praepositio vocetur. Casus qui unicuique harum convenient. Quae in compositione casum nullum recipiant.

De Syntaxi.

Quid Syntaxis? Ejus proprietates. Quarumcumque orationis partium regulae, per Syntaxin appositae convenienter explicabuntur.

Grammaticales figurae.

Enallage, Elipsis, Zeugma, Syllepsis, Archaismus, Hellenismus, Hyperbaton, Anastrophe, Tmesis, Pleonasmus.

De Prosodia.

Quid Prosodia, aut Accentus? Syllabarum quantitates. Longae seu breves aliae natura, compositione, incremento, terminatione. Quid incrementum? Nominum verborumque incrementa. Haec unde efficiantur. De ipsorum juxta Prosodiae regulas, quae explicabuntur, quantitate. Quibus modis hae enodentur; atque evincetur demonstrabitur.

De Versuum structura.

Varia carminum genera. Asclaepeidaeum, Saphicum, Adonicum, Glyconium, Alemanium, Archiloquium, Mixtum, Heroicum, Exametrum, Pentametrum. Horum structura, et dimensio demonstrabitur.

De Schematibus et poetica licentia.

Sincope, Apocope, Ecthlipsis, Synalaepha, Synaeresis, Diaeresis, Sistole, Diastole, Methathesis, Metaplasmus, Prothesis, Epenthesis, Paragoge, Aphaeresis, Tmesis, Antithesis, Caesura.

Cujusvis ideo auctoris, pro adstantium libitu, sive stricta, sive soluta oratione latine conscripta grammaticalis constructio tradetur, et vernaculum ad sermonem vertetur.

Propriorum itidem nominum, vel ad Historiam, vel ad Mythologiam spectantium, sensus, et ordo explanabitur. Latine haec omnia interrogati latine illico respondebunt alumni.

NOTA.

Quum vero hermeneutica Ars plura vel enodanda, vel animadvertenda requirat, haud tyronibus tantum, provec-tiorum nonnullis etiam laboriosa et obscura utpote quae en-cyclia quodammodo indigeat disciplina; pro aetate perfectio-nem posse in vertendo inveniri prudentiores haud latere ar-bitramur.

